D. FRANCISCI SALGADO DE SOMOZA,

IN REGALI CANCELLARIA VALLISOLETANA SENATORIS.

TRACTATVS

DE SVPPLICATIONE

AD SANCTISSIMVM A LITERIS ET BVLLIS APOSTOLICIS IN PERNICIEM Reipublicæ, Regni, aut Regis, aut iuris tertij præiudicium impetratis.

ET DE EARVM RETENTIONE INTERIM IN SENATV.

Opus vtrique Reipublicæ Eccleſiaſticæ, & temporali vtiliſſimum,

Copioſa ſacrarum [illegible] ad Regimen, tum ad ſtatus rationem conducibilium illuſtratum.

EDITIO PRIMA LVGDVNENSIS.

Es de la Libreria del 1. Coll. de la Comp.ª de Jhs de Salamanca.



LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ANISSON

M. DC. LXIV.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

PRINCIPI ET HEROI,

DON

EMANVELI FONSECÆ,

STVNICÆ, AZEVEDO,

COMITI MONTIS REGII,

Comiti Fontano, Nobiliſſimarum Vlloæ, Viedmæ,& Riberæ domuum Toparchæ; alibi quoque Domino aut Dynaſtæ, ex Sanctiori Conſilio, & à cubiculo Regio, Neapoli Exprorege, apud Romanum Pontificem iterum Exlegato, & in Supremo Italicarum rerum Senatu Præſidi integerrimo.

PERMITTE deprecor, MAXIME PRINCEPS, vt affectum beneuolentiæ plenum ad te transferam, & hos non primos laborum meorum fructus tibi dedicem. Munus ſanè, ſi aut ex ſua, aut ex tua dignitate ſpectetur perexiguum: ſi ex viribus meis mediocre, ſi ex animo magnum. Iniurium etenim eſſet, non tibi me, meáque omnia ſubdere, cuius obſequio iura Patriæ addicunt. Strictum medius Fidius hoc; ſtrictius tamen grati animi vinculum, quo ingenuè fateor deuinctum à te immortalis memoriæ Principe, cuius magnitudini quicquid ſum acceptum refero: Accipe igitur libens foetum hunc quem offero, *de Supplicatione ad Sanctiſſimum* Patrem, & Chriſtianæ gregis Summum Paſtorem, imò animum offerentis Artaxerxes alter;

LICENTIATI

D. BARTHOLOMÆI BVIAN

DE SOMOZA, S.S.R.C. ARAGONVM QVONDAM Relatoris ac etiam Sanctæ Cruciatæ, nunc verò in Supremo Sanctæ & Generalis Inquiſitionis Conſilio idem exercentis munus in laudem;

NOBILIS ET PERITISSIMI LICENTIATI

DON FRANCISCI SALGADO

DE SOMOZA IVRIS VTRIVSQVE ACERRIMI & præclariſſimi propugnatoris, digniſſimíque totius Siciliæ Regni Monarchiæ Iudicis.

OBSTVPVERE quidem Phebi, Salgado ſorores
Mirantes genij prodigioſa tui.
Aſt ego (ſed quis enim Muſis mirantibus auxit
Hæc niſi non aptus?) linquite, iacto, canam.
Vix ea protuleram, triplex cum cauſa repugnat,
Quo minus officium perſequar ipſe meum.
Nempe ſolum patriæ nobis commune duobus,
Quin & amicitiæ fœdus vtrumque ligat.
Adde quod eloquij vires, authórque libérque
Exuperat longè magnus vterque mei.
Hinc timor occurrit, patriam ſeu pectus amicum
Exprobret in primis ne inuida turba mihi,
Terrificæ verum pulſabo cuſpidis ictum.
In me nec robur liuor habebit edax.
Namque tuis ſcriptis munimine ſacra petenti
Protectum poterunt lædere tela nihil.
Sanam conſtituunt ſiquidem quæ pharmaca bullam,
Hæc Salgado tuus continet vſque liber.
Vidimus antiphraſin Bullæ ſub nomine quondam,
Dum vafer impoſtor prorſus iniqua petit.
Sedula ſed fraudem remouet tua cura doloſam,
Nec ſinis iniuſtis nomen adeſſe boni.
Iuſtitiæ, paritérque tui ſtudioſa voluntas
Impulit ad numeros (quæ tibi ſida) manum.
Hinc mihi polliceor veniam, tibi Neſtoris æuum
Opto vt perpetua ius tuearis ope.

CLARISSIMO VTRIVSQVE IVRIS PROFESSORI

DON FRANCISCO SALGADO DE SOMOZA,

IVDICI REGIÆ MONARCHIÆ IN VLTERIORI SICILIÆ REGNO,

& viro vndequaque doctiſſimo.

C. S. M. R. N. C. A. S. & IN S. I. S. S. Grammatophylacij Præfectus.

S. F. O.

LICET omnes mihi ſingulari quadam, ac præcipua laude digni videantur (glorioſi nominis vir inter eruditiſſimos, quos cœli oculus vnquam aſpexit) qui in aſſequenda honeſtarum artium ſcientia, operam, & induſtriam ſuam locarunt; tum ij præcipuè qui veluti maiore quodam numinis afflatu perculſi, propè omnibus poſthabitis, ad *diuinarum humanarúmque rerum notitiam, iuſti atque iniuſti ſcientiam*, omnes cogitationes ſuas, atque omnia ſtudia contulerunt. Igitur cùm magnis ſemper extolli præconiis mereantur, qui maximum hoc atque Auguſtiſſimum Imperium terra marique à continuis hoſtium exercitibus claſſibúſque, viribus, armis, ac pecuniis tuentur; Qui vigiliis, laboribus, & ſcriptis ſuis præclaris cauſam Reipublicæ, & ius Regis ſui protegunt, nihil minùs commendari debent, quàm pro patria pugnantes. Quò reſpiciens eloquentiæ Princeps *in oratione pro Murena*, vrbanam militiam appellat hanc curam reſpondendi, ſcribendi atque cauendi. *Non enim ſolum illos pro imperio militare* teſtantur Leo, & Anthemius Imperatores, *qui gladijs, clypeis, & thoracibus* armati in hoſtes *nituntur, ſed* eos *etiam qui dirimunt ambigua facta cauſarum*, ſuique patrocinij *viribus ſæpè publicis in rebus ac priuatis* oppreſſa ſubleuant, *lapſa erigunt*, labantia *reparant*, omniáque demum iure faciunt finibus ſuis eſſe contenta, neque *minus humano generi prouident, quàm ſi prælijs, atque vulneribus patriam parentéſque ſeruarent.* Gratulor ergo lucubrationibus tuis (ſacri ac profani iuris lumen) ſiquidem ingenij tui ſecundi partus ac maturi fructus in lucem prodeunt abſque indigentia Tutani Tutilinæque numinum (quæ olim inuocare laborantes ſolebant) non enim ope, auxilio vel aſylo illorum eges, cum labores tuos ſacra ueris obſequio & Maieſtati Philippi Catholici Regis noſtri multis titulis & rationibus Magni, innumeris heroicíſque virtutibus Maximi, cuius Regia iura ab ineunte ætate magnis conatibus ac ſtudiis viriliter

TRACTATVS DE SVPPLICATIONE AD SANCTISSIMVM A Litteris Apoſtol. &c. Et de earum interim retentione in Senatu.

PARS PRIMA.

Continet Iuſtitiam recurſus ſupplicationis ad Sanctiſſ. & retentionis in Senatu, necnon cauſas legitimas retentionis inductiuas, atque formam examinandi illas, ſingularéſque quæſtiones, proceſſum, & praxim tangentes.

CAPVT PRIMVM.

Protectio vaſſallorum, necnon Eccleſiæ, eiúſque ſtatus, cultus diuini, dogmatum, & Conciliorum tuitio: an & quo ſit iure Regalia Principis temporalis à Corona indiuiſibilis.

Et an ſuper Regalia ipſa, vel alia ab Eccleſia obtenta Rex inter Eccleſiaſticos cognoſcat.

SVMMARIVM EX CAP. I.

Supplicatio ad Papam, qua imbibitur reuerentia, & humilitas: eſt Regalia Sedis Apoſtolicæ, num. 1.

Supplicatio ad Papam eſt actus humilitatis, & reuerentiæ, num. 2.

Et ſignum ſupremæ Maieſtatis, & Poteſtatis Papæ, ibidem.

Supplicatio ſupponit altitudinem ſupremæ maieſtatis, & pleniſſimæ poteſtatis, ibidem.

Qui alios ſupplicant, fatentur ſe humiles, & adorati minores, ibidem.

Omnes ſupplicationis & adorationis modi, quibus veteres vtebantur eo tendunt, vt humiles ſe fateantur, ibidem.

Superſedens in litterarum executione ad effectum reſcribendi, dicitur ſeruire Principi, ibidem.

Reſpublica infelix iudicatur violentis oppreſſa protectore carens, num. 3.

Omnia, & miſera, & felicia indigent protectore, num. 4. & n. 14.

Plures Sacræ Scripturæ authoritates congeruntur concludentes infelicitatem vi oppreſſi carentis protectore, num. 6.

Vim patientem acclamantem malus Iudex non exaudit, num. 6.

Deus miſeretur eius, qui liberat miſeros ab oppreſſionibus potentum, num. 7.

Deus eſt protector generis humani, vt ex variis Sacræ Scripturæ authoritatibus latè comprobatur, num. 8.

Propheta Rex paſſim Deum protectorem inuocat, num. 9.

Deus liberat vi oppreſſos de manu potentum, num. 10.

Deus ab origine creationis de hominis tutela curauit, num. 11.

Deus vt verus protector præſto adeſt acclamantibus vi oppreſſorum, tacitis & expreſſis, n. 12.

Multa Scripturæ loca ad idem recenſentur, ibid.

Principes Dei exemplo viduas habere debent ſub ſua protectione, num. 13.

Diui Iacobi Hiſpaniarum vnici Patroni authoritas recenſetur, num. 14.

Deus in humani generis protectione vtitur Angelorum

TRACTATVS DE SVPPLICATIONE AD SANCTISSIMVM à Litteris Apoſtolicis: Et de earum interim retentione in Senatu.

PARS SECVNDA

Continet Recurſum ad Regem ob contrauentionem Sacroſancti Concilij Tridentini, præſertim circa præſeruationem primæ inſtantiæ Ordinariorum.

CAPVT I.

Quo iure Rex Catholicus, quibúſve rationibus litteras Apoſtolicas in contrauentionem œcumenici Concilij Tridentini importunè impetratas, vel retinere, vel remittere valeat, & de vtriuſque differentia, de qua latiùs, cap.26.

SVMMARIVM.

Principum Chriſtianorum Regale munus eſt, euigiles eſſe intuitione Reipublicæ, præcipuè ſpiritualis, dogmatum, & Conciliorum, n.1.

Principes ſuorum Regnorum ſunt adſtricti ad protectionem, ne violentiam, aut ſcandalum patiantur in perniciem Reipublicæ ſpiritualis, & temporalis, num.2.

Ad Conciliorum, & Eccleſiæ tuitionem ſæpè inuitaſſe Pontificem Principes Chriſtianos ad ſedandas violentos incurſus, multis Canonicis decretis legimus, num.3.

Bonifacij Papæ epiſtola refertur miſſa Imperatori Honorio, vt auxilium Eccleſiæ, & Religioni oppreſſæ præſtaret, num.4.

Epiſtola refertur Imperatoris Honorij miſſa Papæ, qua profitetur interuentu ſui pacem cuſtodiri, & ſeditiones Eccleſiæ obuenientes ſedari, n.5.

Diui Auguſtini Authoritas refertur, quà licitè petitur per Prælatos auxilium à Principe Chriſtiano contra hoſtes Eccleſiæ ad eius tuitionem magis, quàm vindictam, num.6.

Res religioſæ aliter tutæ eſſe nequeunt, niſi & Regia, & Sacerdotalis defendat authoritas, n.7.

Epiſtola Diui Auguſtini, qua aduerſus violentias ſit vltio, à poteſtatibus per Prælatos poſtulanda, num.8.

Concilium Agatenſe refertur, quo dicitur ab omnibus Principibus eſſe auxilium poſtulandum pro pauperum moleſtiis, quibus Eccleſia fatigatur, num.9.

Si Principum præeminentia in Eccleſia ex conſuetudine acquiſita non ſeruetur, ſcandalum Eccleſia patitur vitandum, num.10.

Principum Chriſtianorum præcipuum Regale officium eſt, Eccleſiam, eiuſque libertatem, & immunitatem defendere, num.11.

Principes ſæculi nonnunquam in Eccleſia culmina tenent, vt diſciplinam Eccleſiaſticam muniant, & ſeditiones rigore Principum conterantur, num.12.

Principes ad tuitionem Eccleſiæ tenentur ex debito Regalis officij, etiam non poſtulatam, cùm ipſorum ſtudij, & religionis interſit, num.13.

Imperatores profitentur maximam adhibere ſolicitudinem circa Dei dogmata, & Sacerdotum honeſtatem, num.14.

Principis boni eſt omnia tueri, quæ ſpectant ad functionem Eccleſiaſticam, num.15.

Principes ſi protectionem Eccleſiæ præbere negligunt, à communione eiuſdem repelluntur, n.16.

Nihil præſtantius conſeruationi Regnorum, quàm vigilantia in cultus Diuini, & ſtatus Eccleſiaſtici tuitione, qua nititur ſtabilimentum omnium rerum publicarum, num.17.

Quod Imperator Theodoſius in agone mortis filiis ſuis hoc præceptum reliquit, num.18.

Imperatores Chriſtiani agnouerunt Imperij fœlicitatem